

si serius vifitet, quam oporteat, & tranſacta jam oportunitate applicandorum remediorum, ita ut ea procrastinare cogatur non ſine ægotantium evidentiam damno. in quem errorem facile dilabuntur, qui Principibus viris medicinam facientes aliquando leviter ægotantibus, tenuioris fortunæ homines graviter, & ad mortem ægotantes, ut illis accuratius infervant, tranſcurant.

17 Ultimus caſus eſt, cum Medicus deploratos relinquit, de hoc enim maxime hæſitatur, an licite fiat, nec ne. nam primo & ratione, & auctoritate probatur id licere. Ratione quia incaſſum Medicus videtur invifere ægotantes remediorum incapaces, quales ſunt deplorati; fatius ergo eſt, ne obijciatur illud, Amice ad quid veniſti? huiusmodi ægotantes ſolo prognofico relinquere, ſecundo quia viſitatio Medici cum ægroti ſunt in extremo vitæ poteſt eſſe noxia ſaluti Animarum, cum enim in eo ſtatu poſiti debeant à præſentis vitæ amore ſeſe alienare. ut ſpe futuræ vitæ ſerio concepta ad Deum toto corde, totaque mente convertantur, certum eſt ex Medici viſitatione illos à deſiderio ſalutis æternæ ob ſpem ſalutis corporeæ, ac temporalis diltrahi. tradendi ergo ſunt tales infirmi Religioſis, qui Animæ medeantur, & ipſius æternæ ſaluti propiciant quantum in ipſis eſt. Tertio quia ſi deploratis remedia admoveamus, poteſt fieri in præiudicium aliorum ægotantium, quia remedia, quæ adhibentur in iis, qui de proximo ſunt morituri, infamantur, & male in poſterum apud cæteros homines audiunt, ita ut non permittant Medicos amplius illis uti, quod ne fiat deplorati potius ſunt ſolo prognofico relinquendi.

Probatur ulterius id ipſum auctoritate, quia Hippocr. in *lib. de Arte*, de eſſentia Medicæ Artis dixit, eſſe eorum, qui à morbo victi ſunt curam non agredi. manifeſte etiam Gal. 2. *Aphor. 29. & 11. Method. cap. 10. & 4. de rat. vitæ. 12.* id ipſum inculcavit volens in his ægotis invifendis Medicum ſolo prognofico uti debere, quod etiam videtur ſentire Cell. *lib. 5. cap. 26.* atque eandem ſententiam ſequitur ex recentioribus Card. *lib. 1. Contr. Med. tract. 5. contr. 9.*

Pro huius dubii reſolutione, videtur dicendum cum Recentioribus, nempe cum eodem Card. *de mal. med. uſu cap. 47. Rod. à Caſtr. lib. 3. Med. Pol. cap. 17. Codronch. de Chriſti. med. rat. lib. 1. cap. 7. Mercur. lib. 3. Error. popul. cap. 26. & novill. Zacchuto de Princ. Med. hiſtor. num. 63. dub. 41.* & cum ſolertiſſimo Medico, & hic Romæ magno cum applauſu Medicinam faciente Gabriel Foul. in *ſua Med. accon. cap. 11.* deploratos, imo etiam de proximo morituros nullo modo ulque ad extremum vitæ ſpiritum eſſe deferendos, maxime ſi mente conſentent, dummodo ea cautela utamur, ut prognoficum, & noſtram viſitationem ſubſequatur immediate, & præcedat omnium, & quorumcunque etiam minimorum remediorum admotionem. Ad primam autem rationem in contrarium dicendum, nunquam Medici viſitationem poſſe eſſe inanem, & ſuperfluum, quia etiam in eo ſtatu poſitis poteſt ſecundum eorum exigentiam ea præſcribere, quæ juvare maxime nocere nunquam poſſunt. præterquam quod nunquam tam certi ſumus de mortis eventu, quin aliqui etiam ex deploratis præter ſpem non evadant, ut alias ex Medicorum auctoritate dixi, Avic. 4. 4. *tract. 2. cap. 10.* ad quod etiam auctoritas Iureconſultorum adduci poteſt, ne ea ulla in

re deficiat. Gaill. *præſt. Obſer. lib. 2. obſ. 111. num. 14.* Quin etiam poteſt Medicus viſitando ægotum moribundum ſaltem nonnulla prohibere, quæ mortem accelerare poſſunt.

Ad ſecundam rationem in contrarium dicendum, quod ſi Medicus caſus fuerit in prædicendo mortis eventum de proximo, etiam ipſi ægroti, ſi ita expediat, nunquam animæ, aut corporis ſaluti præiudicium afferet. Ad tertiam dicendum Medicum omnem calumniam facile evitare, & ſui ipſius, & remediorum, quæ præſcribit, propalando verum prognoficum futuræ mortis. Ad auctoritates dicendum, omnes loqui de iis, qui jam jam extremum ſpiritum ſunt exhalaturi, ut ex Gal. dicit Cardan. in *cit. lib. Contrad. med. vel dicamus cum eodem Cardan. in alio cit. loco de mal. med. uſu*, intelligi de Medico de novo accedente, non de illo, qui à principio curam ſuſceperit, & in ſumma tutius eſſe cum recentioribus in hac re ſentire.

S V M M A R I V M.

- 1 Medici ad ſenium deduciti, & defectum interiorum ſenſuum jam habentes, medendi artem non debent exercere.
- 2 Medicus qui ſequitur opiniones dubias, incertas, novas, graviter errare videtur.
- 3 Medicus etiam doctus, qui non aſſumpſit inſignia doctoratus, mederi non poteſt.
- 4 Medicus abſque ſufficienti ſcientia artem exercens graviter errat.
- 5 Medicus peccat curando morbum, antequam eum cognoscat. *Limia ut nem ſeq.*
- 7 Medicus errat, qui medicamenta nova, & non experta in uſum trahit.
- 8 Melius eſt anceps remedium experiri quam vulgum.
- 9 Medicus peccat ſi plures ægotos, quam poſſit diligenter curare, curandos ſuſcipiat.
- 10 Medicus graviffime peccat ſi medicamentum præſcriptum pro non bono cognitum, mutare renuit.
- 11 Medicus peccat, qui ut ſeniori Medico, vel amico morem gerat, medicamenta ab ipſo propoſita, & que minus opportuna cognoscat, tamen accipiat.
- 12 Medicus peccat ſi medicinam non ſecundum Artis præcepta, ſed ſecundum locorum conſuetudinem exercet.
- 13 Medicus graviffime peccat porrigendo medicamenta abortiva.
- 14 Abortum procurare ob matris ſalutem, an licitum.
- 15 Abortum quando liceat procurare ex Moxio. *nu. ſeq.*
- 17 Gravidæ an liceat ſanguinem ex pede detrabere.
- 18 An liceat intra puerperii terminos catarrica medicamenta præſcribere.
- 19 An liceat exhibere medicamenta ſterilitatem procurantia.
- 20 An liceat morbum provocare, ut alium morbum curemus.
- 21 Medicamenta ad malum aliquem finem præſcribere error graviffimus.
- 22 Medicamenta venenofa præſcribere grave peccatum.
- 23 Medicamenta ſuperſtitioſa præſcribere eſt grave peccatum.

24 Imagines Aſtologica fabricatæ an ad alienus morbi curationem à Medico in uſum trahi poſſint.

25 Medicus, qui pauperi medicamenta pretioſa præſcribit, aut diviti non neceſſaria, peccat.

26 Peccat Medicus præſcribendo medicamenta corrupta, & obſoleta.

27 Morbos incurabiles an curandos ſuſcipere Medicus poſſit. *dic ut num. 29.*

28 Medicus curando morbum incurabilem nulli facit injuriam.

30 Medicus concedens in morbis deſperatis, & incurabilibus noxia ab ægotis deſiderata, peccat.

31 Medicus an poſſit curare ſuſcipſum.

De erroribus Commiſſionis circa operationem.

Q V Æ S T I O V I I.

1 IN hoc errorum genere placet primo connumerare communem Medicorum omnium pane errorem, qui cum ad ultimam jam ſenectutem pervenerint, & ſenectutis incommodis, quæ ad rationis uſum, & ingenii, ac memoriæ perſpicaciam ſpectant, moleſtentur, ita ut jam ad medendum inepti ſint, tamen ob avaritiam, quæ Medicorum, & ſenum peculiare vitium eſt, medicinam facere non deſiſtunt, quod aliquando gravi cum ægotum damno fieri experientia ipſa quotidiana docet, ob memoriæ enim præcipue torpore in mille non contemnendos errores maxima cum hominum pernicie impingunt. Optime ergo horum conſcientia conſultum putaverim, ſi, cum ſe memoria, atque iudicio deficere ex ætatis vitio ſenſerint, vel omnino à medendo ſeſe abſtineant, vel multa circumſpectione utantur, ne in propriarum animarum, & alienæ ſalutis detrimentum contra quam teneatur medicinam faciant.

2 Caterum ante alia ſtatuendum, quod Medicus, qui in medendo incertas, novas, dubias, & extra quotidianam praxim exiſtentes opiniones ſequitur, gravem errorem committit, cum ex conſcientia teneatur ſequi ſententias certas, ſecuras, & communiore, Paulus Laymann. *lib. 1. Theol. mor. tract. 1. cap. 5. num. 15.* quod ſecundum plurimum intelligendum, quia interdum poteſt Medicus à communi prædicandi modo recedere ob particulare aliquo reſpectu, ut, exempli gratia, ſi fluentibus menſtris præcipiti, ac ſuffocante ſquiantia mulier capiat, poterit in eo caſu Medicus contra communem praxim uſum ex ſuperioribus venis ſanguinem mittere. contra vero damnandi, & puniendi etiam ſunt Medici illi, qui remedia quædam celeberrima apud Medicinæ Artem omni ſæculo canonizata reſpungunt, & ob propriam quandam hæreſim ea maximo cum ægotum præiudicio, prætermittunt, abſurdis quibusdam, & inſulſis rationibus inhaerentes, quæ ne dignæ quidem ſunt, quæ in medium producantur. tales ſunt qui ſanguinis miſſionem negligunt, aut à veſſicantibus medicamentis in omni morbo abhorrent; ſed hi errores ad omiſſionem pertinent, ad commiſſionem pertinet ille, ſanguinem præter modum, ultra vires, extraque morbi exigentiam detrabere, aut violenta, & cathartica medicamen-

ta, abſque ulla urgente neceſſitate præſcribere; videmus enim in dies ex utroque errore infirmos periclitari, & novimus hic Romæ Medicos, qui miſeris ægotantibus ulque ad ſpiritus exhalationem ſanguinem detrahebant indiſſenter in omni morbo, in quocunque morbi tempore, imo & in quocunque tempore particularis acceſſionis, nullo delectu, nullaque ſibi intentione propoſita, & aliquando in morbo vigefimum diem non excedente vigefies ægos phlebotomaffe comperimus. vidimus eos robuſtiſſimos juvenes carnicino hoc conſilio è medio ſuſtulſiſſe; vidimus eos moribundis quoque, animamque de proximo exhalaturis ſanguinem detraxiſſe ea ratione non niſi multo cachinno excipienda, ut ſuavius morerentur. ac denique vidimus ex his Medicis alterum alias non aſpernanda doctrina imbutum, ſeipſum jugulaſſe; poſtquam enim copioſiſſima ſanguinis miſſione florenti adhuc ætate attriticis doloribus ſeſe obnoxium reddidiſſet, quos iterum non alio remedio, quam repetita, ac frequentata ſanguinis miſſione curabat, & veluti caeceticum habitum induiſſet, tandem per tredecim vices in ultimo morbo ſibi ſanguinem detraxit, & maxime in die mortem præcedente ad uncias decem, & octo, ut relatum ab aliis amicis Medicis mihi eſt. certe pertinax huiusmodi Medici perſuaſio helleboro indigebat. peccabat ergo hic graviffime in ægotos, & graviffime item peccavit in ſe, ſed ſui peccati penas luit. Quod autem de ſanguinis miſſione dictum eſt procedit etiam in exhibitione fortium medicinarum, quæ in uſu de raro ſunt, ex quorum exhibitione in dies homines periclitari notamus, ut Antimonium, Helleborum, Mercurius, & alia huiusmodi, quæ tamen à Medicis me eliminare nullus exiſtimit, ſed tantum frequentem eorum uſum abſque neceſſitate urgenti uſurpatum vituperare; idemque ſentio de quibuscunque aliis medicis auxiliis, quæ in ſumma ſecundum communiorem opinionem, non ſecundum aliquam particularem hæreſim adminiſtrare decet, ita ut neque nimis, neque nimis parvus ubi morbus requirat eorum uſus ſit. ſam alium quemdam Medicum craſſioris Minervæ hominem novimus, qui robuſtiſſimis juvenibus in morbis maxime ſanguinis evacuationem requiritibus, nullo contra indicante prohibente, unam aut alteram ſanguinis unciam detrahebat. Prodicus item apud Hippocr. 6. *Epid. ſect. 3. tex. 27.* Febricitantes interficiebat curſibus, luſta, & calidis fomentis. contra omnem ergo rationem, & contra communem Medicorum aliorum opinionem tentabat hic calefaciendo febrem ſuperare addens laborem labori, & auxiliis ipſi febri inimicis febrem propulſare volebat, plethendus ergo erat hic, & à Medicina faciendâ prohibendus.

Præterea Medicus etiam ſi doctus ſit mederi non poteſt, niſi doctoratus inſignia aſſumpſerit. Ioan. Alph. à Fontech. in *ſpec. Med. Chriſt. lum. 1. verſ. Dubitari tamen.* & ſi medeatur plecti iure poteſt, quia tenetur pœna falli, cum ſe Doctorem præbeat, & immiſceat ſe in actibus Doctorum, cum Doctor non ſit, ut ex Franc. Mar. dicit Carrar. *de Med. par. 3. num. 147.* ſed Io. Alphonſus ſupracitatus reſtringit hoc, ut non procedat in caſu neceſſitatis. ego tamen non video quo ex capite id procedat, cum Doctoratus nihil addat ſcientiæ, & ſufficientiæ ipſius Medici, niſi ergo aliquo alio ex capite id peccatum
ij. Kk 2

catum existat, ex hoc tantum non existimaverim Medicum in scientia sufficientem peccare, si absque Doctoratus insignibus medeatur, satisque esse puto si corporali, aut pecuniaria poena mulctetur, absque hoc quod etiam censuræ Canonicae ob peccatum subiciatur; nisi dicamus ex eo quod contra Leges facit, illum peccatum non evitare.

4 Pejor multo, ut credo, illorum error, gravisque absque dubio peccatum est, qui Doctoratus insignibus assumptis absque sufficienti tamen scientia medendi artem exercent. Navarr. in *Man. c. 25. num. 60.* Codronch. lib. 1. de *Christ. med. rat. cap. 1.* in quibus Doctoratus insignibus conferendis huiusmodi personis insufficientibus graviter peccant ii, quibus tale munus est demandatum. Quibus vero scientiis instructus esse debeat Medicus, qui boni Medici nomen mereri debeat; & qui tuta conscientia velit Medicinam facere, docuerunt abunde, & antiqui, & recentiores Medici, sed præ omnibus vide, si libet, Roder. à Castren. in *Med. Polir. lib. 2. cap. 1. & seqq.*

Medicus insuper qui & sufficienter Doctus est, & Doctoratus insignibus ornatus potest interdum in operationibus Medicis errare, & primo cum antequam morbum cognoscat, illum curare aggreditur. idem Navarr. *ibid. num. eod.* ex Medicis Codronch. *ubi supra, lib. 1. cap. 2.* Mercur. lib. 2. *Error. popul. cap. 25.* Ioan. Alphonf. à Fontech. *loco cit. lumen. 1. vers. dubitabis forsitan.* Vnde miror quomodo supracitatus Navarr. *ibid.* voluerit licere ei, qui diuturnam experientiam habet, mederi aliquibus morbis, etiam si regulas Medicinæ ignoret; neque enim potest quis absque Medicinæ præceptis ex sola experientia morbum cognoscere, si ergo non cognoscit, non potest morbum curare, experientia enim quam fallax sit satis docuit Gal. in 3. *Aphor. 11.* & post alios luculenter Sancto. de Sancto. in *method. vivand. err. lib. 12. cap. 5. & 6.* Oportet ergo antequam Medicus curationem aggrediat, morbum cognoscere, aut si ex Navarra satis est experientia, nihil interest morbum cognoscas, nec ne, & sic pæne omnes Medici post aliquam acquisitam experientiam, absque eo quod morbos cognoscant mederi poterunt. sed contra hic error, mederi nempe alicui morbo antequam illum cognoscas, tanti estimandus est, ut Medicus semper in gravi culpa sit, si æger à morbo superetur, quem ille non cognoverit, Hipp. in *lib. de affect. num. 12.* & ratio est, quia ut Avic. lib. 4. *fen. 4. cap. 1.* dicebat, non cognito morbo melius est illum Naturæ permittere, quæ forte illum curabit, quam medicamentis illam à curatione abstrahere. si ergo in morbo non cognito Naturam medicamentis à sanando abstrahis, hominem certe data opera occidis.

6 Nota tamen quod etiam non cognito morbo potest Medicus aliqua præscribere: nam Hippocr. in *lib. de loc. in Hom. num. 46.* præcipit, non cognito morbo levius aliquod medicamentum præbendum. & Avic. non cognito morbo videtur esse attendendum docet; leviora etiam nonnulla medicamenta, ut clysteria, fomenta, inunctiones, & huiusmodi pro exigentia licet in usum trahere, etiam non cognito morbo, quæ tamen & ipsa leviora sunt, & nulla insigni qualitate dotata, in reliquis autem morbus Naturæ committendus, ut prosequitur Heurn. lib. 3. *Method. ad prax. c. 27.* & de hac ipsa re vide Silvat. *contr. 16.* & Sanctorell. lib. 14. *sue Antepaxis cap. 6.*

Ceterum in hoc etiam errorum genere implicatur Medicus, qui medicamenta nova, & non experta in usum trahit, cum habeat experta, & communi usui recepta, & hoc summa cum ratione, quia nihil in medicina majoris faciendum, quam experientia scientiæ associata, cum nihil æquæ ad ipsam curandi rationem conferat. Cell. in *proem. sue Med. qui ergo novis utitur medicamentis experta relinquens, videtur experientiam negligere, graviter ergo errat, ut omnes DD. dicunt. Codronch. lib. 1. cap. 6. Mercur. lib. 2. Err. popul. cap. 25. & Ioan. Alphonf. à Fontech. in *spec. lum. 1. pag. 30.* quod etiam non desisterunt admonere Canonistæ, cum dixerunt Medicum teneri præscribere medicamenta, quæ secundum artem novit certo proficere. Innocen. in c. *Tha. extr. de Homicid. num. 3.* imo tam experta voluerunt esse medicamenta, ut si dubitet Medicus, an aliquod medicamentum profuturum sit, necne, voluerint, potius illum dimittere debere ægrum in manus Dei, quam periculo mortis experimento exponere. Navarr. in *Manual. c. 25. num. 60.* Carrarius de *Med. par. 4. num. 55.* Actius de *lof. par. 2. in proem. num. 10.**

Circa quam tamen DD. opinionem insurgit aliquod dubium, cum Hippocr. in *lib. de loc. in Hom. num. 36.* in morbo lienis, qui præ febre factus sit magnus periculum facere jubeat ventris inunctionibus, & aquæ eductione, quæ periculo non vacant. sic & alias in aliis morbis dubia quædam medicamenta proponit, quia videtur satis esse anceps remedium experiri, quam nullum, ut Cell. dicebat, lib. 2. *sue Med. cap. 9.* unde, In morbo, inquit, Apoplexiæ si periturus videatur, qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjuvus, est etiam ad temerarium remedium transeundum, & sanguinem eo casu mittendum suadet, licet anceps omnino remedium sit, aut liberis enim, aut occidit. Adde quod si non licet ex Christiana pietate deploratos, ac si à principio per dolum malum medicamentum, aut morbo non conveniens præscripsisset, cum anteponere omnino teneamur hominis salutem falsa nostræ persuasione de eximitationis amissione; quam tamen facile tueri Medico licet, quandocunque hic calus eveniat.

Præterea si medicamentis certo profuturis, & non aliis uti licet, de Medicina acta res est, cum nullum omnino medicamentum certo profuturum sciamus, sed conjecturaliter profuturum existimemus, atque idcirco videmus sæpius quam oporteat, cum tutissimis quibusdam medicamentis homines perire; nam quot videmus cum levi Medicamento ex Manna, aut syrupo Rosato solutivo, aut cum exigua sanguinis missione, aut cum aliis ejusmodi auxiliis, imo & cum iis, quæ ad ipsam Naturam roborandam ministrantur, è vita excedere? aut ergo omnia medicamenta sunt abdicanda, aut omnibus etiam dubiis utendum.

Videtur tamen respondendum, quod Medica remedia, aut sunt ut plurimum, & secundum plurimum salutaria, quia cum his ut plurimum, & secundum plurimum ægri à morbis seculi vindicare solent, aut sunt ut plurimum, & secundum plurimum damnosa, non tamen sunt temeraria, sed aliqua ratione sulca, quia cum his de raro homines salvantur, vel tandem sunt indifferentia, quia experta non sunt; & cum hoc sunt etiam temeraria, prioribus semper, & in omni morbo uti licet, secundis de raro, & maxima cum cautela, postremis nunquam; atque de his intelligendi DD. cum prohibent dubiis medicamentis esse utendum. Punienti ergo

ergo sunt, qui talia medicamenta adhibent, quod plerumque faciunt temerarissimi Empirici, & Chimiici irracionales, alique id genus homines ad tollendos è medio ceteros homines nati. Ad Hipp. autem, & Celli auctoritatem dico, illos intelligere de medicamentis in secundo genere, non in tertio. ad instantiam dico, quod deploratos non licet deserere, sed non idcirco licet temerariis medicamentis, parumque expertis uti, & ad alteram instantiam dico, satis esse Medico, si medicamenta, quibus utitur, cum ratione adhibeat, & conjecturaliter sciat, ac speret, ea proficere posse, licet eadem in aliquibus aliquando fuerint damnosa.

9 Notandus autem inter alios errores ad opus atinentes, qui committendo patrantur, ille, quando Medicus plures infirmos uno eodemque tempore curandos suscipit, quibus omnibus accurate, & exacte, ut Ars jubet, auxilium offerre non potest; hæc enim primo contra Artem ipsam esse admonuit Cell. lib. 3. *cap. 14.* dicens; Ex his autem intelligi potest, ab uno Medico multos non posse curari, & vide apud illum ejus dicti rationes. & est etiam hic error contra conscientiam, quod non tacerunt ex Medicis ipsis Codronch. *ubi alias lib. 1. cap. 15.* Mercur. *ibid. cap. 25. lib. 2.* Roderic. à Cast. in *Med. Polir. lib. 3. cap. 19.* & ex Iureconsultis Ripa in *tract. de Pest. par. ut. part. 2. nu. 49.* in quibus tamen calibus liceat pluribus uno, eodemque tempore mederi, vide apud ipsos.

10 Verumtamen vero præ cæteris ille error est maxime punibilis, quando Medicus præscriptum medicamentum, quod pro minus bono, minusque oportuno deinceps cognovit, adhibet tamen, & mutare renuit, ne imperitus, aut inconstans videatur. Codronch. lib. 1. *cap. 11.* & certe dubium ex mea sententia non est, quod Medicus in hoc calu ejusdem peccati reum se facit, & eadem poena dignum, ac si à principio per dolum malum medicamentum, aut morbo non conveniens præscripsisset, cum anteponere omnino teneamur hominis salutem falsa nostræ persuasione de eximitationis amissione; quam tamen facile tueri Medico licet, quandocunque hic calus eveniat.

11 Sed & ille error non contemnendus est, quando Medicus, ut seniori Medico, aut amico morem gerat, medicamenta ab illo proposita, & quæ ipse pro non opportunis cognoscit, in suorum agrorum curatione admittit, maxime si in sua potestate sit illa commutare. Licet ex Canonistis Azorius *Instit. moral. par. 1. lib. 2. c. 17. vers. Vnde commo queritur.* voluerit Medicum non peccare, si contra propriam opinionem ex probabili aliorum sententia, licet nec communi, nec aliis probabiliore, medicamentum ægroto porrigit; sed hic est diversus casus, maxime supposita probabilitate sententiæ aliorum, in quam Medicus ea probabilitate ductus potest tanta conscientia descendere. sed in nostro casu nulla supponitur sententiæ probabilitas, imo supponitur, Medicum cognoscere alterius opinionem pro falla, & tamen, ut non contradicenti seniori, aut amico, in illam consentire; & absque dubio graviter peccat, & tenetur ad damna, quæ inde ægroto emanare possent, & si quidem ob id æger periret, etiam ipse esset magis homicidii Reus, quam alii, nam alii ex ignorantia peccassent, ipse vero sciens.

12 Huic errori affinis alius est, cum Medicus Artem exercet non secundum Ratio, & ipsius artis dictant

præcepta, sed prout locorum fert consuetudo, quem errorem reprehendit Cardan. in *lib. de mal. med. usu. cap. 14.* nam licet multum attendendum sit ad locorum, & civitatum Naturas, & secundum earum differentias oporteat medendi rationem variare, tamen nullo pacto sequi debemus malas consuetudines à vulgo ipso, vel ab imperitis Medicis introductas, imo tenetur pro viribus malas omnes, & damnosas huiusmodi consuetudines à medendi ratione eradicare, bonas vero de novo introducere, ad jam introductas autem multum quidem respicere oportet, ne erremus, sed nunquam ob loci consuetudinem ab ratione mederi.

Porro circa alios errores primum ille valde notandus, cum Medicus præscribit medicamenta ad abortum provocandum, in qua re, quam grave peccatum committat Medicus, non est qui nesciat. Apud vetustiores certe Philosophos non videbatur ea res magni momenti, quia Aristoteles lib. 7. *Polit. c. 16.* licitum facit ad minuendum filiorum numerum abortum provocare, antequam foetus ad sensum, & vitam perveniat, quod & à Medicis aliis ex causis factitatum novimus, nam Hippocrates noster vir, quantum dicere de Ethnico homine licet, plurimum, ab hoc opere seise non abstinent; procuravit enim abortum in ancilla quadam, ut ipse refert in *lib. de Na. Puer. num. 4.* quod tamen de presentibus, & divinis, & humanis legibus nobis est interdictum. *cap. consultius il. 2. q. 5. l. Cicero. s. sed si quam ff. de Pænis;* pro homicida enim habetur, qui procurat abortum, & idcirco fit irregularis. Nicol. Plovius de *Irregul. num. 21.* quod notavit etiam ex Medicis Moxius lib. 2. *de med. morb. mul. per ven. sect. cap. 14.* & humanis ergo, & divinis legibus expianum huiusmodi peccatum est, quia gravissimum. Navarr. in *Manual. cap. 25. num. 63.* & ex nostris Moxius *ubi supra, Roderic. à Cast. lib. 3. de morb. mul. par. 2. cap. 21.*

Dubium tamen erat, an pro cura alicujus morbi, & maxime lethalis, quo mater affligatur, liceat oportunitis medicamentis foetum abigere, ut mater salvetur. non desuerunt enim ex gravissimis doctoribus aliqui, qui id licere voluerint, ut Gajetan. in 2. 2. q. 67. *art. 2. ad 1.* relatus à citato Moxio *ubi supra, cap. 17.* & alii Canonistæ apud eundem Moxium. Torrelblanca *Demonoman. lib. 2. cap. 43. nu. 10.* cum alii ibi per eum adductus. sed & Menoch. de *Arbitr. Ind. lib. 2. cent. 4. cas. 357. num. 20.* ejusdem sententiæ fuisse videtur, licet voluerit non esse ab omni poena immunem, qui etiam ad hunc effectum abortum procuraverit.

Alii tamen distinguendum existimant in foetu ani nato, & non animato, in illo enim dixerunt non esse licitum provocare abortum, in hoc autem licere. Ita Navarr. in *Manual. cap. 25. num. 62.* Azor. *Instit. mor. lib. 2. cap. 4. par. 3.* Cell. de *Instit. & Jur. lib. 2. cap. 9. dis. 10. num. 60.* Paul. Laymann. lib. 2. *Theol. Moral. tract. 3. par. 3. cap. 49.* & ex Medicis Epiphani. Ferdin. lib. 3. *Theorem. 11.* & alii ex citatis pro superiori sententia. Sed hæc D. Antonini, & aliorum est, ut Lessius, & Torrelblanca referunt, eamque ex nostris longioribus tueritur, & plures auctores ad eam corroborandam adducit Moxius lib. 2. *de morb. mul. cit. cap. 16. vers. si hæc conclusio;* & de hac etiam meminuit Ranechin. in *Hip. jusjur. leg. 5. vers. secunda opinio.*

Alii tandem absolute negarunt ullo modo, aut ad illum finem etiam ad servandam Matris salutem

licere abortum procurare. Mercurial. lib. 1. de morb. mul. cap. 2. in fin. Hucher. de Sterilit. lib. 3. cap. de concepi. prohib. Silvatic. Controvers. Med. 82. Ranchin. ubi supra, vers. Tertia opinio. Codronch. lib. 1. cap. 22. Mercur. lib. 2. Err. popul. cap. 26. Roderic. à Castr. de morb. mul. ubi supra in scholiis, videndus etiam Correl. miscell. med. decad. 10. q. 10. & ultimo loco Daniel Sennert. lib. 4. suae Praet. sect. 5. cap. 3. q. 5. & ex Iureconsult. post alios, quos cumulat novissimus Carranz. de Part. cap. 16. num. 47. Inter ceteras autem rationes, quae persuadere possunt, licere aliquando abortum provocare, illa certe magni faciendae, quod cum praegnantia aliquibus foeminis ita lethalis sit, ut nisi abortiant, eas una cum foetu perire sit necesse, ut ex Hippocrate, habemus in lib. ad mul. pertinentibus, videtur non solum licere, sed aequum esse, ad matrem saltem salvandam, abortum procurare.

15 Moxius ubi supra, cap. 16, concedens posse ad matris salutem procurandam, abortum provocari, distinguit tamen gravidationis tempora, ac duobus tantum temporibus id licere asserit, ante Animam nempe infusionem, hoc est in primo mense operationes ab ipso allatas, & in septimo, nono, & decimo, quia tunc, inquit, foetus etiam si per vim ab utero extrudatur, vivere tamen potest, aut saltem non defraudatur vita Animae, quia vivus nascitur, & baptizari potest.

Ad has tamen rationes facile respondetur, & ad priorum dico, quod multo potiori ratione destruitur, quia medicamenta abortiva magnam inferunt violentiam, ob quam ab utero foetus extrudunt, unde etiam matrem viti faciunt, non potest ergo procurari abortus nisi & foetui simul, & matri vis inferatur, hinc est, quod haec operatio nulla ex parte ita secura esse possit, ut provocato abortu certa securura sit matris salus, quae dum abortum provocamus manifesto vitae periculo exponitur, cum frequens experientia commoneat ex huiusmodi medicamentis mulieres mortem obiisse, & est Medicis praeter alios notissima historia ab Hippocrate enarrata lib. 5. Epid. tex. 5. mulieris pharmacum corruptorium assumptis, ex quo quarto die mortua est. simile quid evenit Domitiae Domitiani Imperatoris ex fratre nepiti, perit enim ex abortivo medicamento, referente Suetonio in Domitiani vita cap. 22. adde quod in usu horum medicamentorum non solum timetur mors corporalis ipsius Pueri, sed etiam mors aeterna, ut bene advertit ex Canonistis Azor. Instir. mor. lib. 6. cap. 14. par. 3.

Neque Moxii opinio quicquam de periculo demit, imo ex parte auget, dum grandiore existente foetu abortivis medicamentis utitur, tanto enim major violentia inferitur, & tanto valentiora medicamenta ad abortum provocandum requiruntur, quanto foetus major est. sed neque recentiore existente foetu quicquam certi stabiliri potest, quandonam animatus existat, si tam varias auctorum opiniones examinemus, nam & tertia die animam infundi aliqui voluerunt, quando vix suspicio conceptionis potest irrepere.

16 Vera sententia haerens Constituit. F. R. Sixti Quinti, de qua nonnulli ex praecitatis Medicis, est, nunquam licere directe procurare abortum, etiam si proponatur matris salus, quae periclitetur, nisi provocetur abortus; indirecte tamen non est prohibitum pro matris salute dare causam abortiendi, dummodo totis nervis innitatur, ne fiat, ita ut

si fiat, sit praeter nostram intentionem. directe autem provocare abortum est, proposita sibi hac intentione, medicamenta ad eam assequendam praebere. indirecte est porrigere medicamenta ad aliquem morbum sanandum ab ipso morbo requisita, etiam si ex eorum usu timeatur abortus, ut sunt medicamenta ventrem solventia, Clysteres, sanguinis detractio, & alia huiusmodi praedia, in quorum tamen usu semper etiam cavendum, ut quantum fieri potest, tam foetus, quam matris vita salvetur. Praeterea autem sciens alias nonnullas secundarias dubitationes hic annectendas, nempe an gravidas purgare, an phlebotomare liceat, an clysteres adhibere, & alia medicamenta praescribere, quae abortui causam dare possunt, haec enim etiam post alios plerisque breviter, sed bene tractavit Daniel Sennert. lib. 4. suae Praet. cap. 3. sect. 5. q. 1. & seqq.

Sed licebit ne in morbis Gravidarum sanguinis 17 evacuationem requirantibus, illum ex inferioribus venis detrahere? Ratio dubitandi est, quia etiam si liceat Gravidae, urgente morbo, sanguinem mittere, id nunquam fieri debet ex inferioribus partibus; nam si tantum noceat ex superioribus missus, ut ex ea causa mulier facile abortiat ex Hipp. lib. 5. Aphor. 31. quanto magis nocebit sanguinem detrahere ex inferioribus venis, ex quibus alimentum foetui subtrahitur, & menses ciantur? cum ergo tam de directo, ac tam prompte abortum provocare possit sanguis ex pedibus missus, nunquam in gravidis mittendus, sed ad alia auxilia tentanda, aut potius aegram dimittere debemus in manus Dei, quam tam ancipiti, imo periculi pleno remedio uti, ut alias ex Navarra, aliique Canonistis dixi faciendum, quibus tamen non obstantibus Raphael Moxius lib. 2. de morb. acut. Gravid. per ven. sect. cap. 20. qui hanc quaestionem exagitat, in partem affirmativam inclinat, & rationes ab eo adductas apud ipsum vide. hanc ipsam opinionem veter doctissimus Zacutus lib. 1. de princip. Medic. bistor. quaest. 21. Ego certe, nisi ab ea me deterreret vulgi persuasio, & aliorum Medicorum praecique ignorantium calumniae, pro inconvenienti non haberem in nonnullis casibus maximi ponderis, & urgente morbo ad earum venarum sectionem venire, ut Moxius & praecitatus Zacutus consulebant, dummodo foetui aptis remediis provideretur, ut quam minimum fieri posset ab ea sanguinis missione laesionem sentiret.

Sed aliud non minoris momenti dubium excitatur ab eod. Moxio lib. 3. c. 47. & à Silvatic. contr. 86. hic discutiendum, an liceat nempe intra puerperii terminos medicamenta cathartica praescribere; quam quaestionem postquam uterque multis hinc inde deductis & rationibus, & auctoritatibus exagitat, in affirmativam partem inclinat; verissimamque eorum sententiam puto, multa quoque mulieres in puerperio perire crediderim ob nimis religiose à Medicis evitatum medicamentorum ventrem subducentium assumptionem. Quare insuper hic non ab re potest, an caesarea sectio celebrari absque peccato possit; est autem sectio caesarea, vivens matris in ventre sectio, ut foetus inde aut vivus, aut quomodocumque eximatur. Certe cum operatio periculi plena sit, non videtur temere celebranda; imo cum ut plurimum inde matris mors succedat, quia pauca admodum ex his, quae hoc modo secantur, salvari solent, dicendum videtur, non posse fieri absque peccato gravi, cum, ut alias dictum est,

est, remedia quibus utimur, debeant esse tuta, aut saltem secundum plurimum talia, sed his non obstantibus, dicendum videtur, huiusmodi sectionem esse licitam; & ratio est, quia, etiam si velimus, eam esse periculosam, tamen certiori periculo exponitur ipsa mulier, nisi sectio fiat, quia certo non secta peribit, secta autem & ipsa, & aliquando ipse foetus vivere potest; nam non est verum, has mulieres ut plurimum perire, quia, si expertissimis Medicis ac Chirurgis credimus, plures earum, quae secantur, salvari solent. Sed de hac materia vide Roussetum de Partu Caesario, & Bahuin. in ejus appendice. & praeter omnibus vide quae docte & eleganter de hoc argumento scripsit Pater Theophilus Rapnaudus in lib. cui Titulus: De vitis infantium contra naturam per sectionem caesarem. ubi diligenter omnia ad haec pertinentia discussit, quae ad Theologum discutere spectabat.

Ceterum cum jam determinatum sit, conceptum 19 jam factum nunquam esse corruptendum, aliud insurgit dubium; an impedire liceat, ne fiat, hoc est, an sterilitatem possimus absque peccato procurare. Et primo nobis scrupulum in hac re movet Hippocratis auctoritas, qui non semel in lib. ad mulieres spectantibus offendit, esse ex eis aliquas, quibus conceptus funestus est, unde & medicamenta sterilitatem inducentia his praescribit; ad cuius exemplum nobis quoque fas erit, si urgens sese ferat occasio, idem istidem medicamentis procurare: nam si è plurimorum DD. sententia licet procurare abortum non adhuc animati foetus, multo magis licebit ad evitandum vitae periculum infocundas mulieres reddere, quae ex facta conceptione periclitari possunt: & maxime cum id multo minori cum periculo fiat, quam jam factum conceptum interimere, ac per vim ab utero expellere. Sed Tex. clarus est in c. aliquando 32. q. 2. simpliciter loquendo, & ad malum finem nunquam licere sterilitatem inducere; sed ad mulieris salutem procurandam liceat, inter Canonistas Paul. Laymann. lib. 3. Theol. Mor. tract. 3. par. 3. cap. 4. quaest. 2. nu. 2. & Codronch. ex Med. lib. 2. cap. 25. expresse tenent, quod in hoc mortale peccatum interveniat, ad quemcumque finem fiat. Medici tamen plerique cum ad praedictum finem, ad evitandum nimirum vitae periculum, sterilitas procuratur, licitum esse voluerunt. Mercurial. lib. 1. de morb. mul. cap. 2. Hucher. de Sterilit. lib. 3. cap. proprio. Epiph. Ferdin. lib. 3. Theorem. 11. Roderic. à Castr. de Morb. mul. lib. 3. c. 2. in schol. Moxius lib. 2. cit. cap. 16. ad malum autem finem nunquam licere omnes consentiunt, ut post alios Ranchin. in Hippocr. Insur. l. 5. q. 2. & sic videtur intelligenda Bulla Sixti Quinti, de qua per cit. Codronch. dum eadem poena eos puniri vult, qui abortum procurant, quique sterilitatem inducunt.

Sed cum sterilitas in muliere morbus sit, siquidem liceat sterilem mulierem facere ad alios morbos evitandos, licebit etiam morbum morbo curare, quod an liceat dubium est, videtur enim omnino contra Medicinam finem, & intentum, quod est sanum facere, at uno morbo alium curare non est sanum facere sed tantum morbum mutare. & tamen cum Natura, cujus documenta sequi debemus, & cuius ministri Medici sunt, saepe morbum morbo curet, ut Gal. asseverat lib. 6. Epid. sect. 6. comm. 8. cur non licebit Medico Naturam recte operantem imitari? Prudentis, inquit Celsus lib. 3. cap. 9. Medici est novare interdum, & augere morbum, & te-

bres accendere; & à vetustioribus quidem Medicis ad hoc absque ullo scrupulo suademur, sed qui de hac materia scire ulterius desiderat, adeat Valletium abunde eam tractantem lib. 8. Contr. 10. & novissimum Zacut. lib. 1. de Princ. Med. bistor. 34. q. 23. Vera sententia est, quod ubi Medicus securus sit, quod de novo factus morbus aut mitior, aut tutior priori sit futurus, aut saltem impetum vetustioris novus refragare possit, tunc non inconveniens, neque illicitum sit morbum morbo curare, sic, ulceribus excitatis, mille morbis succurrimus, sic, excitata febre, repentinam ab Apoplexia comminatum ruinam evitamus. At procurando sterilitatem non procuramus morbum, qui vitam ullam asserat praedictum, ejusque provocatione majores morbos, ex quibus mulieribus vitae periculum impendit declinamus. In viris certe sterilitas ad nullum bonum finem procurari potest, nisi forte extrema feminis refrigeratione tentaremus veneris stimulos cohibere, quod an liceat meum non est determinate.

Quemadmodum autem non licet ad malum finem sterilitatem procurare, imo neque ut ferendae sobolis laborem mulier simpliciter evitet, sic neque ad aliquem malum finem licet ullum medicamentum Medico aut praescribere, aut parafacere, quod ad proximum fallendum, ad virginitatem reparandam, ad coitum stimulantium, ad somnum inducendum, ad lac exiccandum, ad delectationem in coitu augendam, ad generationis membra in crassanda, & ad alia id genus aptum sit, haec enim omnia illicita sunt, si ea intione fiant, ut interim aliquis illicitae cupiam rei operam dare possit, & de plerisque Codronch. ubi alius cap. 22. & seqq. & Mercur. lib. 2. Error. Popul. cap. 25. & licet post factum aliquando Medicus possit aliqua ex his praescribere, ut medicamenta virginitatem simulantia in puellis jam deverginitatis, & lac exiccantia in his, quae pepererunt, & caelare puerperium desiderant, tamen videndum, ne hoc in alterius praedictum aliquo modo esse possit.

Sed & illud scrupulum movet, an Medicus tuta conscientia possit comotica medicamenta, five ad decorem mulieribus facientia praescribere, aut commostrarre. in quo dubio advertendum, quod nos de iis medicamentis agimus, quae cosmetica dicuntur, haec enim à comoticis, seu comptoriis differunt in hoc, quod cosmetica respiciunt naturalem, ac veram pulchritudinem, comotica, & comptoria falsam, adulterinam, atque fictitiam, ac propriam meretricum, licet apud Juvenal. Sat. 6. Cosmetae dicantur Artifices quaedam mulieres, alias mulieres fucis exornantes, ibi:

—Ponunt Cosmetae tunicas.

Sed quemadmodum de illis non dubitatur, quod sint licita, & Medico convenientia, ut demonstrat Mercurial. de Decorat. cap. 1. sic de his certi esse debemus, quod Medico sint indigna, ut Gal. 1. de Med. local. cap. 2. dicebat, & non sine peccato aut praescribantur, aut admittantur; caveatur enim expressè per sex. in cap. fucare. de consec. dist. 5. ne mulieres sese huiusmodi medicamentis pulchriores reddere studeant.

Sed & in praescribendis medicamentis venenosis etiam ad bonum finem, errare Medicos contingit, cum ea non recte preparata exhibent, aut nulla urgente necessitate, maxime cum meliora, & tutiora non desint, licet enim plures Claficorum Medicorum venenosa quaedam medicamen-

ta exhibenda doceant, & Card. lib. de mal. med. usu cap. 77. probaverit, errare Medicos, qui venenosa medicamenta, tamen id sana mente intelligendum, ut hæc in summa necessitate, aliis æqualis virtutis deficientibus, aut ad manum non existentibus, aut non sufficientibus, exhibeantur; non autem tam frequenter, & Empirici procacissimi præcipue Chimici, & Empirici procacissimi facitæ solent, ut docet etiam Franci Ranchin. in Hipp. Iusur. l. 5. quamobrem non deberet ab omni poena esse immunis qui minus caute hæc medicamenta propinans ægrum occideret, contra id, quod voluit Grill. de Sorileg. cap. 12. num. 13.

23 Præterea non absque magno delicto fit, ut Medici medicamenta superstitiosa præscribant; neque enim ob id, quod ad bonum finem ordinentur, nempe ad recuperandam sanitatem, licet idcirco Medico illis uti. D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 2. cumque errore pluribus infectatur lo. Heurnius. lib. 3. Method. ad præx. cap. 28. quem vide, & de hoc etiam Codronch. de morb. venef. lib. 3. c. 13. & lib. 2. de Christ. med. rat. c. 3. Mercur. lib. 4. error. popul. c. 13. & præter Medicos Grilland. de Sorileg. 6. Spreng. in mall. malef. par. 2. q. 2. Delrius lib. 6. disquisit. Magic. cap. 2. sect. 1. q. 1. & seq. Actius de Infirm. c. 44. Torrebl. Demonolog. lib. 2. cap. 50.

24 Sed quid dicendum de Imaginibus Astrologice fabricatis ad aliquos peculiare morbos propellendos? certe non modo hæc à nonnullis Medicis admittuntur, sed maxime celebrantur, & videndi præceteris Arnauld. Villanovan. & Galeott. Martius de doct. promiss. c. 24. quin etiam à quibusdam ex Canonistis admittuntur, ut à Cajet. apud Suares lib. 2. de superstitione c. 15. n. 16. Sed de his remittam me ad ea, quæ definiunt cum D. Thom. Martin. de Arles de superstit. Suarez ubi supra, numeris seqq. Martin. Delr. lib. 1. Disquisit. Mag. cap. 3. q. 1. Torreblanca lib. 1. Demonolog. cap. 7. & ex nostris Heurn. loco supra cit. & Thom. Erast. in disquisition. contra Paracels. par. 1. qui longioribus eam rem discussit, cum quibus concludam, quod cum in his semper concurrat tacitum pactum cum Dæmone, ut D. Thom. dicebat, ex quo citatus Martin. de Arles, huiusmodi Imaginibus uti fit omnino grave peccatum, ac debita poena mulcandum. nec multum interest, an has imagines Astrologice, an Magice fabricatæ sint, cum, ut Erast. ubi proxime, dicit, nullum inter illas aliud intercedit discrimen, nisi quod in his aperte invocantur Dæmones, in illis tacite occultique characteribus ut pacti signis invitantur, & admonentur.

25 Sed neque satis est ab his medicamentis nempe superstitiosis, venenosis, comoticis, aliisque de quibus supra præscribendis sese Medico abstinere, sed etiam in præscribendis medicamentis bonis, atque oportunitis errat, cum ægroto pauperi medicamenta preciosa, & magni valoris præscribit, tantoque gravius errat, quanto facilius id præstat, ut Aromatariis rem gratam faciat; nam neque ipsi divitiis ad hunc finem potest similia medicamenta exhibere. de qua re vide allata à Codronch. lib. 1. de Christian. med. rat. cap. 32. cum quo errore coincidit etiam ille, quando plura medicamenta, quam oporteat Medico ad eundem finem præscribit, de quo supra, in quo etiam intervenit peccatum, & tenetur ad restitutionem. Navarr. in Manual. c. 25.

num. 64. Codronch. loco cit. quod amplia procedere etiam si ad eum finem non fieret, sed ut abundare se remediis Medico ostenderet, aut ut tanto majorem se curam ægotantis gerere hoc modo commoustraret, ut junioris maxime faciunt.

Notabili quoque errore implicatur Medicus, 26 qui medicamenta corrupta, & obsoleta ægotantibus exhiberi permittit. Navarr. ubi supra, man. 61. in quem errorem non solum labitur quando data opera, ut Aromatario rem gratam faciat ea medicamenta administrari curat, in quo casu non solum peccat, & punitione dignus est, sed ad restitutionem cogendus, & ad damna refarcienda, verum etiam quando per Medici negligentiam Aromatarius ea medicamenta exhibet, sed tanto majus illud, quam hoc delictum est, quanto punibilior dolus est, quam negligentia, sed videnda quæ circa hoc afferunt Card. de mal. med. usu. cap. 11. Codronch. lib. 1. de Christ. med. rat. cap. 9. Mercur. lib. 2. err. popul. cap. 25. & ex Iureconsultis Guibertus quest. Iurid. cap. 16. num. 55. & seqq. Verumenimvero decidendum in hoc dubio est, an Medicus semper, & in omni casu, quantumque in culpa sit: nam certe & nimis rigorosum, & impossibile infimum est, Medicum teneri ad deligenda omnia, & singula medicamenta, quæ in ægotatorum salutem adhibenda sunt, neque fieret hoc absque ipsorum ægotatorum incommodo, quia vix uni ægroto unus Medici opera sufficeret; satis superque mihi videtur, si Medicus diligens sit in his, quæ majoris momenti sunt, & in morbis magnis, in quibus minimus error est exitialis, alias unumquodque debitum sibi injunctum adimplere debet, neque tenetur Medicus id, quod Aromatario demandatur; tam rigorose supplere, ut ipse Aromatarii vices gerere debeat, deligendo omnia, ac singula medicamenta, ut aliqui voluerunt: qui omnino ignorant, quam operosum futurum esset, Medicum in electione simplicium, in confectione medicamentorum, in eorum præparatione, & eorumque administratione semper, & ubique interesset; ad impossibile ergo Medicos obstringunt, eosque à melioribus operibus distractos volunt.

Cæterum dubitatur, an erret Medicus suscipiendo curam morborum deploratorum, & incurabilium. præcipit enim Hippocr. eorum, quia à morbo victi sunt, curam non esse aggrediendam; vnde jure Card. lib. de mal. med. usu. cap. 1. reprehendit Medicos illos, qui insanabiles morbos curandos suscipiunt, eamque rationem pro hac sententia adducit, quod Morborum incurabilium causæ sunt habituata, ac confirmata; non est ergo possibile eas removere, aut in totum tollere, ergo nec minuire, quia si liceret minuire, liceret etiam longiori curatione in totum tollere; in easum ergo Medicus tales morbos aggreditur, cum sanare non possit; unde, ut prosequitur, exemplo occultorum cancerum, tales morbi non sunt curandi, quia quod Hippodixit, cancers occultos non curare melius esse, de omnibus consimilibus morbis intellexit. addamus, quod si concedamus, verum esse Cardani dictum, Hippocratem nempe voluisse suam sententiam locum habere in omnibus morbis incurabilibus, huiusmodi morbi non solum non debeant à Medico curari, quia eos sanare non potest, sed etiam quia curando obest, nam, ut addit Hippocrates, curari facilius intereunt, non curati diutius perdurant. errant ergo qui incurabiles morbos curandos suscipiunt, ut

ut concludit post nonnullos & vetustiores, & recentiores Roderic. à Castr. lib. 3. Medic. Polit. cap. 19. qui etiam quales hi morbi sint, docet. Alia tamen ex parte & humana, & Christiana Pietas permittere non videtur, homines, qui auxilium à nobis implorant, pro desperatis contemnere, sed persuadere aliquo modo adutrices manus admovere, & falsa etiam spe à summa vitæ desperatione distrahere, etiam si enim Medicus nihil opis medicamentis afferre possit, ejus tamen præsentia, ac mollioribus verbis, & colloquiis solet morbi simul, ac vitæ tædium lenire; præterquam quod etiam si Medicus non possit sanare tales morbos jam incurabiles, & sanitatis incapes redditos, potest tamen aptis auxiliis prohibere ne invalescant, & majores fiant, atque deteriores potest & symptomatibus nonnullis occurrere, quæ morbos intolerabiliores reddere solent. potest denique victus rationem præscribere, etiam si morbum medicamentis non aggrediat. Adde quod Medicus curando morbum desperatum, ac incurabilem nulli facit injuriam, D. Thom. par. 2. q. 71. art. 3. ad 1. unde certum est, Medicum non peccare curando tales morbos, ut Advocatus defendendo licem injustam per ea, quæ affert Ripa in tract. de pest. part. ult. part. 2. num. 93. & Thom. Actius de Infirm. par. 2. v. Sanitas num. 1.

29 Dicendum ergo in hoc casu, triplicem esse morborum curationem; vnam præservantem, aliam curantem, & si curabiles sint, aliam prohibentem ne deteriores fiant, cum sunt incurabiles, quæ palliativa dicitur. Prima non habet locum in casu nostro, secunda Medicus uti non debet, tertia potest, ut concedit etiam Cardan. ubi supra, sed concurrere debet ea conditio, ut Medicus ante omnia morbum pro incurabili pronunciet, ut ex Iureconsultis Actius ubi supra, & ex Medicis dicit Codronch. lib. 1. cit. cap. 30.

30 Sed circa curationem similium morborum frequentissime Medici cum vulgo errare consueverunt, concedendo infirmis quæcumque desiderant, etiam quæ contra morbum faciunt, ægotis in omnibus gratificando; ejus autem erroris Medicos insimulant, Codronch. ubi supra, lib. 1. cap. 8. Mercur. lib. 3. Error. popul. cap. 25. Io. Alphons. à Fontech. in spec. Medicin. Christ. tum. 1. pag. 30. & eorum sententiæ rationes vide apud ipsos præcipue apud Mercurium.

31 Ultimo loco videndum, an Medicus curando se ipsum, aut suos, ut filios, parentes, fratres aliquo modo erret; & in hoc quidem vulgi opinio est, hoc Medico non licere, quam opinionem sequitur Roderic. à Castr. lib. 3. Med. Polit. cap. 15. at ego quidem, ut ex mea sententia loquar, magis imprudentia, quam peccati cupidum insimulandum censo, qui sibi ipsi in gravioribus præcipue morbis medetur. Quoniam autem nimis operosum esset, nimisque volumen hoc excreferet, si omnes, ac singulos Medicorum errores, & signanter qui ad hoc genus pertinent, peculiari sermone percurrere tentarem, de his satis fit mentionem habuisse, cum alii plerumque minoris momenti sunt, nec digni, de quibus hic verba fiant.

S V M M A R I V M.

1 Medicus minori faciens medicinam solita mercede quomodo erret.

- 2 Medicus an licite mercedem accipiat.
- 3 Medicus an pacisci possit de mercede. dic. in num. seqq. 4. 5. 6.
- 7 Medicus errat exposcundo nimiam mercedem.
- 8 Medicus pauperibus sine mercede tenetur mederi.
- 9 Medicus si quid à pauperibus extorqueat, tenetur ad restitutionem.
- 10 Pauper quis dicatur ad hunc effectum, ut Medicus tenetur ei gratis mederi.
- 11 Medicus an vocatus à paupere semper tenetur accedere.
- 12 Medicus non solum tenetur pauperibus gratis mederi, sed illis de suo elargiri.
- 13 Medicus tenetur mederi gratis diviti volenti ob ævaritiam curari.
- 14 Medicus à publico salariatus ab ægotis non potest aliquid accipere.
- 15 Medico an liceat mercedem ante inceptam curationem exigere.
- 16 Medicus an licite accipiat mercedem in diebus festis.
- 17 Mercedis pro opere acceptio reddit illud opus servile.
- 18 Curare infirmos non est servile.
- 19 Que dantur Medicis dicuntur Honoraria, non mercedes.
- 20 Medicus an in morbis incurabilibus, & desperatis licite mercedem accipiat.
- 21 Medicus an tenetur ad restitutionem, ægro mortuo, nihil de periculo, aut incurabilitate ipso prædicente.

De erroribus tam in omittendo, quam in committendo ad Mercedem spectantibus.

Q V Æ S T I O VIII.

ERRORES, in quos dilabi Medicum contingit circa mercedem in omittendo pauci numero sunt, multi in committendo. unicus enim tantum considerari potest in omissione, atque is est, cum Medicus minori facit medicinam mercede solita; errat enim Medicus, quia hoc in præjudicium aliorum Medicorum redundare potest per ea, quæ adducit Carrar. de Med. par. 3. nu. 219. & seqq. Vnde vilis quidam conditionis Medici, qui ut sese in servitium alicujus Principis, aut nobilium, potentiumque virorum, vel loci alicujus publici, ut Hospitalis, aut Monasterii, aut Collegii insinuat pro minima, aut nulla mercede sese ultro offerunt, videndum an quicquam, & quantum delinquant, & maxime si hoc in præjudicium alterius Medici, qui actu pro majore mercede inservit, emanare possit. illud certum est, hos à cætu nobiliorum Medicorum esse ablegandos, nam non solum Medico nobili id patrare non licet, sed neque honestam mercedem ultro oblatam renuere, ut optime admonet optime de Medicina meritis Lud. Septal. lib. 1. Cant. Med. num. 20.

Circa errores autem commissionis in hoc genere primo sese offert dubium, an pro morborum scilicet curatione licite Medicus mercedem possit recipere. movent hoc dubium multi DD. Sotus, & Navarr. apud Carrar. de Med. par. 2. num. 35. Ripa in tract. de pest. par. ult. part. 2. num. 93. & seqq.

Et seqq. Caroc. de loc. & cond. par. 2. q. 1. rubr. de Medico. Gaspar Trifan. de Cler. Med. §. 16. Ratio pro negativa sententia huiusmodi affertur, spiritus non possunt ullo pretio absque simonia peccato vendi, sed Medicina, siue donum curationum est quid spirituale, non videtur ergo absque peccato mercedem pro eo recipere. Præterea ipse Hippocrates populo Abderitano scribens, Neque, inquit, viri, Abderitæ, argentum per vim mihi obtulidite, sed liberæ Artis libera esse finite opera, qui vero mercedem capiunt hi scientias seruire cogunt velut captivæ ex prioribus libertate ipsas facientes. quomobrem idemmet piissimus senex ad eos, ut curaret Dæmocrinum absque ulla mercede contendit. Quinimo apud eundem non modo indecens, & illiberalis est mercede medicinam facere, sed res impia, sic enim addit *ibidem* dicens. An non reputatis æquale peccatum esse hostes servare, & amicos mercede curare? non mirum ergo est, si Esculapius à Iove fulmine ictus sit, quod ob avaritiam medicinam mercede exerceret, ut ex Pindaro, & aliis tradit Tiraq. de nobil. cap. 31. nu. 22. Et seqq. Addendum ex Carocio de loc. & cond. par. 2. rubr. de Med. q. 1. nu. 5. quod Medici ratione exercitii multis gaudent privilegiis, quæ loco mercedis eorum laborum cedere debent, non possunt ergo aliam mercedem recipere.

Sed contraria opinio est communissima, & vera, licite nimirum Medicum mercedem recipere ab ægrotantibus, quibus medetur. quod primo elicitur ex sacro Textu Exod. cap. 21. vers. 19. ibi, Innocens erit qui percussit, ita tamen ut operas ejus, & impensas in Medicos restituat. dum enim jubet mercedem Medicis solvendam per vulnerantem, non dicendum, illicitam rem præcepisse. Et Ecclesiast. cap. 3. vers. 1. Honora Medicum ibi. A rege accipiet donationem. Secundo patet ex text. legali in l. Medicos. C. de Profess. Med. ibi. Mercedem etiam eis, & salaria reddi jubemus. Ad rationes autem in contrarium respondentur ad primam, mercedem à Medico non recipi pro quapiam re spiritali, nec pro ipsa sanatione, quale enim esset præmium par sanitatis? sed tantum pro labore, quem Medicus in curando impendit, ut etiam evenit in iis, qui aliquas scientias doceant, qui non pro ipsa scientia salaria recipiant, hoc enim esset symoniacum, sed pro labore in ipsis edocendis suscepto. Hippocrates autem loquitur de mercede, quam per vim exigit Medicus, non de ea, quæ ab amicis, & benevolentibus grati animi ergo ultro libenter offertur, unde idcirco in lib. de Præcept. monet Medicum, ut in exigenda mercede omnem deponat acerbiteratem. ad secundam dico, quod privilegia, quæ conceduntur Medicis ratione exercitii non tollunt, quin mercedem recipiant, nam post constitutas ipsi mercedes ab Imperatoribus ea privilegia insuper sunt concessa.

Secundo sese offert aliud dubium, an scilicet erret Medicus pacificando cum infirmo de mercede. Hippocrates primo loco supra cit. non solum licere voluit Medico hoc pactum inire, sed omnino de mercede debere ipsum pacifici ob rationes inibi ab eo adductas nu. 4. unde apparet falso Cujacium in comm. ad l. Insuperiani lib. 10. tit. 52. l. 8. dixisse pactum Medici cum infirmo esse contra Hippocratis iuramentum; nihil enim ibi Hippocr. habet de mercede; cum ergo hoc in loco concedat Medico, ut pacificatur cum ægrotato de mercede, non erit hoc

pactum contra ejus dogmata; sed non deservit alii post eum Medici, qui id ipsum admiserint. sed pro negativa videtur absolute facere Tex. in l. Medicus. ff. de var. & extrord. cognit. §. l. Archiatri. C. de Profess. & Med. ibi. quos etiam æ patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea, quæ periclitantes pro salute promittunt. ubi nota quod illa verba, Etiam ea, non referuntur ad salaria contra id, quod voluit Glosa hic, sed ad verba subsequenta, nempe etiam ea, hoc est. Præter salaria etiam ea, quæ sani offerunt. & alias permultas DD. auctoritates pro negativa parte adducit Ripa de Pest. par. ult. part. 2. num. 86. & Caroc. de loc. & cond. par. 2. rubr. de Medico. q. 4. num. 4. & vide ex Canonistis Azorium Infrat. moral. lib. 6. cap. 14. quæst. 3. & ex nostris in eadem sententiam venit Septal. lib. 1. caution. Medic. num. 21. multa tamen pro parte affirmativa adducit Caroc. ubi supra, nu. 5. & Gaspar Trifan. de Cler. Med. §. 34. Ut autem hoc dubium diluatur nonnulla consideranda, ac primo videndum de quibus Medicis loquatur, cum non solum de Physicis intelligi possit hoc Medici nomen, sed de Chirurgis, Empiricis, Chemicis, ac quibuscumque aliis, quos nomine Medici venire diximus in hujus tituli principio. Secundo videndum an indifferenter de omnibus morbis sermo sit, an de aliquibus tantum; cum pactum aliquando possit habere locum, aliquando non. Tertio considerandum differre Physicorum mercedem à mercede aliorum Medicorum, nam quod Physico tribuitur dicitur honorarium, ut infra dicemus, quod aliis tribuitur dicitur merces.

Hic sic se habentibus dico, cæteros omnes Medicos, Physico excepto, posse de mercede cum infirmis pacifici, eorum enim opera sunt servilia non minus, ac sint opera aliorum Artificum mechanicorum, nam & ipsa Chirurgia, quæ cæteris supereminet, mechanica est, nisi à Physico exercetur, aut si omnia ratione suum opus efficiat empiricorum more soli experimento fidens. licet communiter ipsa Chirurgia etiam rationalis pro mechanica habeatur. Franch. decis. 564. par. 4. n. 10. aut saltem licet mechanica non sit, quando jungitur Rationi, & tunc maxime cum à Physico exercetur, quia nullo modo hominem inhonestat, ut probat Roder. à Castr. Med. Polit. lib. 2. cap. 3. & Septal. lib. 8. Caut. Medic. num. 1. tamen pari passu cum Medicina Physica in dignitate non incedit.

Dico secundo, quod nullus Medicus pacifici potest cum infirmo, si morbus est acutus, aut urgens, sed tantum quando est diuturnus, & inducias præbet, ea sicut Hipp. mens in Præception. & ex Medicis neotericis idem senserunt cit. Roder. à Castr. *ibid.* lib. 3. c. 21. & Septal. lib. 1. Caut. nu. 21. qui hoc non solum indecens, sed impium esse pronuntiat, Impium est, inquit, magno morbo urgente, de mercede pacifici unde Tex. in l. Medicus. ff. de var. & extr. cognit. illius Medici avaritiam reprehendit, & emendari jubet, qui periculum amittendæ visionis in ægro procuraverat, & eo periculo urgente agrum compulerat, ut possessiones suas sibi venderet. Incivile, inquit textus, factum Præses provinciarum corceat, remque restitui jubet.

Tertio dico, quod contra omnem Physici dignitatem est de mercede cum quocumque ægrotato, quocumque in morbo, aut quocumque in tempore non solum pacifici, sed verba quacumque movere; ex digni-

dignitate enim Medici est mercedem siquidem dentur accipere, & non recusare, si autem non dentur, non exigere, ut Soran. Ephes. in Art. Med. Ipagog. cap. 3. dicebat. & Ratio est, quia quod Physico tribuitur pro morborum curatione, non est, ut dixi, merces, sed honorarium, ut melius, & affluentius suo loco, at cum de mercede cum ægro pacto convenis, tunc amittit nomen honorarii, & acquirit nomen mercedis, & ipse Physicus mercenarius evadit, & suæ ipsius Artis dignitatem inquinat; relinquendum ergo mechanicis est, ut de mercede pacificantur. Sed quia aliquando impingimus in homines ingrattissimos, qui accepto beneficio, nullam beneficio Medico gratiam habent, imo potius illum tanquam Dæmonem odio prosequuntur (nam idcirco proverbio circumfertur, Medicum trisfrontem esse, Angeli nempe faciem gerit, cum curat, hominis cum inter alios versatur, Dæmonem cum ægro, qui non satisfecerit, post curationem fit obvium, quod est celebre apud Iureconsultos Caroc. ubi supra, q. 4. in fin. & ex Medicis Roder. à Castr. ubi supra, cap. 21.) hinc fit, ut interim Medicus cogatur mercedem exigere, in qua re contingit eum errare, cum nimiam mercedem expostulat, Navarr. in Manual. cap. 25. nu. 64. Caroc. ubi supra, q. 11. & ex Medicis Codronch. lib. 1. cap. 29. in fi. sed certe non est in manu Medici in hunc errorem impingere, nam quantumcumque ipse expectat, vix habebit, qui dimidium æqui rependat; utinam & hoc assequeretur, incidimus in tempora cum maxime deploranda est inhumana hominum in Medicos voluntas. sed hæc silencio contegere satius duco. Adverte tamen, non esse præter Medici dignitatem cum Principibus viris, communitatibus, universitatibus, locisque publicis de mercede annua convenire. sed & dari possunt casus, in quibus etiam non sit extra Physici dignitatem de mercede pacifici, qui videndi apud citatum Rodericum.

Porro etiam si Medicus mercedem non recipiat sæpissime à quibus debet, est quando à quibusdam nihil recipere debeat, tritum enim est, Medicum teneri pauperes gratis curare, etiam ex præcepto Hippocr. in præcept. num. 5. & juramento sese ipse Medicus ad hoc obstringit, cum Doctoratus lauream consequitur, & est communissima DD. opinio, & vide tam Canonistas, quam cæteros allegatos ad hoc per Caroc. de loc. & cond. par. 2. rubr. de Med. q. 3. à n. 5. ad seqq. & ex Medicis Codronch. lib. 1. cap. 29. Roderic. à Castr. lib. 3. cap. 21. Mercurius lib. 2. Error. popul. cap. 24. & Gaspar. Trifan. de Cler. Med. §. 16. quod si quid à pauperibus Medicus extorqueat, tenetur ad restitutionem, Carrar. de Med. par. 2. nu. 67. sed hoc an procedat si accipiat à jam sanatis dubitari possit; nam tex. in l. Archiatri. C. de Profess. & Med. videtur permittere Medico à sanis factis accipere. non loquitur tamen ibi speciatim de pauperibus, sed generaliter de quibuscumque hominibus. forte à paupere etiam sano factum non potest quicquam accipere, nisi forte res modicas, aut comestibilia non notabilis valoris. sed videndum esset, quibusdam ad hunc effectum pauper dici debeat. & certe quemadmodum ad perofque effectus arbitrium dicitur esse, quis vocari debeat pauper ex adductis per Menoch. de Arbitr. lib. 1. cent. 1. cas. 65. nu. 7. & per Surd. de Alim. tit. 9. q. 37. in principio, forte & ad hunc effectum id arbitrium esse debet; sed num de hoc Medicus ipse erit Arbitrator? an potius pauper hic stricte accipi

debet pro eo, qui non habet unde vivat? ut idem Surd. *ibid.* quod hic videretur magis habere locum, quam quod dicit Gail. lib. 1. practic. observat. 43. num. 13. pauperem dici scilicet extrema paupertate laborantem, & qui juramentum paupertatis in camera præstitit. sed quid de illo, qui cum non habeat divitias unde vivat, potest tamen sua industria vivere? certe enim cum infirmitas impediatur, ne quis sua industria utatur, hic pauper ad hunc effectum erit dicendus.

Sed tenetur ne Medicus ea obligatione, ut quantum docunque à paupere ad mendandum vocatur, accedere teneatur? nimis onerosum medius fidius esset, Medicum ad hoc teneri, quia pauperes & multi sunt, & sæpe ægrotant; multoque magis onerosum esset id, ad quod illum obligant nonnulli ex nostris Doctoribus, nempe quod non solum teneatur pauperibus mederi, sed etiam de suo illis largiri, ita unanimiter Codronch. lib. 1. de Christ. med. tit. 12. cap. 29. Roderic. à Castr. lib. 3. Med. Polit. cap. 21. & Mercur. lib. 2. Error. popul. cap. 24. ex Navarr. Dicendum itaque videtur cum eodem Navarr. in manual. cap. 25. num. 64. deberi hanc Medicorum obligationem restringi, ut dicatur teneri concurrentibus tribus conditionibus. Prima, quod probabiliter existiment pauperem moriturum, nisi ei medicinæ præsidium succurrant. secunda, quod non adit alius, qui id faciat, tertia, quod nullus reperitur, qui pro eo mercedem solvat: si enim hæc conditiones simul concurrant non solum ex mea sententia tenetur Medicus pauperi mederi, & si non medeat ur mortaliter peccat, sed tenetur etiam de illius morte si periclitetur; quia si qui Medicum ægrotanti non adhibet dicitur mortis causam dedisse. Surd. de Alim. tit. 4. quæst. 5. num. 9. multo magis ipse Medicus dicendus esset dedisse causam morti, si ægro, quem tenetur sub pena peccati curare, non medicatus fuerit, cum in hoc aliena opera non indigerit, sed propria tantum. illud certum est, non teneri Medicum, si adint alii Medici; & multo minus, inquam, si pauperes habeant unde eorum necessitati subveniant, veluti sunt Xenodochia publica ad hunc effectum constructa, in quibus recte, & pro eorum statu, & conditione commode curari possunt.

Sed illud multo durius videri posset, Medicum præter pauperes, teneri etiam curare gratis divitem nolentem, aut avarum, qui, ut Medico mercedem non solveret, curari recuset. Et tamen hæc opinio videtur esse Doctorum communis. Abb. in cap. Ad Amos de Act. & qualis. nu. 7. Ripa de peste par. ult. part. 2. nu. 103. Navarr. loco supracit. & ex Medicis Codronch. lib. 1. cit. cap. 34. rigor tamen hujus opinionis temperatur ex eo, quia post celebratam curationem, etiam si Medicus nolentem curaverit, datur ipsi Medico actio exigendi mercedem ab infirmo jam sanato, si ve ab illius hæredibus, si ille decesserit, ut per Navarr. *ibid.* Affict. decis. 123. & ibi Vrsillus nu. 2. Magon. decis. Flor. 11. nu. 2. & plurimi apud Caroc. de loc. & cond. par. 2. rubr. de Med. q. 2. à nu. 4. ad seqq. quod etiam eleganti dialogo prosecutus est Gulielm. Onciac. Collog. mixt. cap. 6. in fi. & ex nostris Codronch. ubi citatus lib. 1. cap. 29.

Porro autem ultra commemoratum errorem, quando Medicus accipit à pauperibus, vel eis mederi absque mercede recusat, in alium sæpissime labi solet, cum à publico salariatus ab ægrotis aliam mer-

mercedem, aut donaria accipere non veretur: hoc enim peccatum esse voluerunt multi, quia nemo debet ultra conuentam mercedem aliquid accipere, ad quod videtur facere Textus in *l. Necessarius §. final. ff. ad. fill. Ripa tract. de Pest. par. ult. part. 2. a num. 112. ad seqq. Navarr. loco saepe adducto nu. 64. Minus. Obs. 75. cent. 2. Carrar. de Med. par. 2. nu. 93. & ex Medicis Codronch. ubi saepe, cap. 28. lib. 1. sed contra aperte est Textus in *l. Archiatri. C. de Profess. & Med. ubi Medico à publico salariato conceditur accipere à sanis factis quæ in obsequium offeruntur, qui textus est clarissimus, ut mihi videtur, licet à Iureconsultis non ita exponi, ut verba sonant, notaverim. hortantur enim ibi Imperatores ipsos Medicos Archiatros, quibus Annonaria commoda à populi commodis ministrantur, ut honeste obsequi tenuioribus malint, hoc est, ut sine mercede tenuioribus medeantur, à quibus nihil accipiant, neque accipere debeat, cum à publicoalaria habeant, quam turpiter servire divitibus, hoc est, quam cum mercede ipsis divitibus, qui habent unde dent, servire, quod turpe est, quia non debent etiam si offerant accipere. & intentio legis est horrari Medicos à publico salariatos ad medendum tam pauperi, quam diviti contentos publico salario, additurque Quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, scilicet contenti sumus, ut ultraalaria ex publico accepta, possint accipere ea, quæ sani offerunt velalaria, vel quæcunque ea sint; neque enim hæc vocanda essealaria voluit Glossa hic, sed donaria, quia sponte à sanis factis pro obsequiis offeruntur.**

15 Præter hæc dubitatur, an Medico liceat mercedem ante inceptam curationem accipere; ratio dubitandi est, quia merces respicit jam factum laborem, non videtur ergo deberi nisi post curationem, ita decidit Iureconsultus, de qua re vide post Ripam de pest. ubi alias nu. 125. & seqq. & Cagnol. in *l. Diem sancto. ff. de off. Assess. num. 131. Caroc. de loc. & cond. par. 2. rubr. de Med. quest. 5. & vide insuper ea, quæ de paciscenda mercede jam dixi.*

16 Aliam ultra prædictas dubitationem movent Iureconsulti, an nimirum Medico debeat habere mercedem in diebus festis, & pro negativa faciunt ea, quæ attulit Ripa loco supra cit. tit. de remed. ad cur. pestem, nu. 131. & post eum Magonius decis. flor. 11. nu. 8. & ratio est, quia in diebus festis laborare, aut servilem operam facere non licet ex tertio præcepto Decalogi; factis autem apparet servilis opera infirmos curare accepta mercede ex iis, quæ assertit Suarez lib. 2. de dieb. festis, cap. 19. nu. 5. quin etiam nulla mercede accepta non licet in his diebus curare, unde idcirco Christo Domino indignatus est Archisynagogus apud Lucam cap. 13. vers. 14. quod diebus festis, nempe Sabatho mulierem illam curasset, curare enim est servire alteri ad corporis salutem recuperandam; cum ergo hoc sit opus servile, non exercendum in diebus festis; sed dato etiam, quod, quia tendit ad alterius salutem, morborum curatio exerceri possit, ut D. Thom. dicit 2. 2. quest. 122. art. 4. ad. 3. tamen id intelligi debet, si absque mercede fiat, mercedis enim pro opere acceptio facit illud servile, cum mercedem accipiens sui ipsius se venditorem faciat, ut ex Xenophonte in *lib. de dict. & fact. Socrat. refert Peregr. in Apo'og. advers. Philosoph. & med. calumn. pag. 190.*

Sed contra est consuetudo non præter rationem introducta, & ad ea, quæ opponuntur dicimus, quod curare infirmos non est opera servilis, ut per D. Thom. ubi supra, vel si sit servilis secundo modo, non est prohibita in diebus festis, non obstat, quod Medico labore in medendo, quia labor ille non est corporalis, etiam si enim inducat laborem, & corporis motu, ut ægrotis invasit, hoc est per accidens; quia Medicus, ut alias ex Platone dixi, non corpore corpus curat, sed animo. Non obstat insuper, quod pro curatione accipiat mercedem, quia quod recipit Medicus ab ægrotis non est proprie merces, sed honorarium, daturque illi pro obsequio, *l. Archiatri. C. de Profess. & Med. dicitur Medicorum merces honoraria patet ex l. 1. §. prima. de. & l. in honorariis. ff. de var. & extr. cognit. c. Non sine. 24. dist. 5. & notat Roderic. à Castr. in Med. Polit. lib. 3. cap. 21. & Gaspar. Trifan. de Cler. Med. §. 28. unde illud Cicer. apud eund. lib. 16. Epistol. 9. & apud Peregrin. ubi proxime, Curio nisi, ut Medico honos habeatur. Sed dato etiam, quod id, quod Medicis datur, esset merces sic proprie dicta, tamen opus non servile fieri posse pro mercede etiam in festo, dicit Suarez lib. 2. de dieb. fest. cap. 19. nu. 10. & si opus servile ex necessitate fieri potest pro mercede etiam in diebus festis, ut ibidem Suarez nu. 9. quanto magis fieri potest opus, quod est pro hominum salute tam necessarium? Sed mercedem facere hoc opus servile saluum est, nihil enim de Medicorum dignitate mercedem demere demonstrat Valles. in *l. sac. Philosoph. cap. 74. licet absolute fallum sit ex mercede opus evadere servile, ut probat Suarez ubi supra, nu. 6. Cum ergo Medicus neque corporis labore curet, neque mercedem pro curatione dicatur accipere, etiam si aliquid accipiat, potest absque ullo scrupulo etiam diebus festis quæ ab ægris offeruntur accipere, & sic concludit Ripa ubi supra, num. 132. cuius consilium laudandam, quod Medicus accipiat à sponte dantibus, quemadmodum in consuetudine est etiam in diebus festis, nihil tamen ipse in his diebus expectat à non sponte dantibus, unde Magon. decis. flor. 11. nu. 6. in constituendo salario cuidam Chirurgo, qui per octo menses infirmum quendam curaverat, detrahit dies festivos.**

Denique dubitatur, an in morbis desperatis, & 20 incurabilibus Medicus licite mercedem recipiat, & videtur quod non, quia nemo debet recipere mercedem laboris, quem incassum sciebat se infumere, sed sic est, quod in desperatis, & incurabilibus morbis Medicus scit, ac manifeste cognoscit, se frustra laborem suscipere in illis curandis, ergo non debet ex eo labore ullam mercedem recipere. contra tamen D. Antonin. ex quo Actius de infirm. vers. salarium, voluit Medico deberi salarium etiam per morbo desperato, & insanabili, communis tamen DD. opinio est deberi, quocumque Medicus morbum talem esse pronuntiaverit, alias vero non deberi. ita ex nostris Codronch. lib. 1. saepe cit. cap. 30. & Mercur. lib. 2. Errorum popul. cap. 5.

Sed quænam requiruntur ad hoc, ut Medico moriente ægroti à culpa sit immunis, & licite mercedem accipere possit? Gaill. lib. 2. Obs. 111. num. 25. quatuor requirit dicit, primo ne excedat limites suæ professionis, secundo ut sit peritus in Arte, tertio quod diligentiam adhibuerit, quarto quod rectam insituerit victus rationem. Nos dicamus necessesse esse, ut morbum cognoverit, ut periculum præ-

prædixerit, ut diligentiam in omnibus curæ spectantibus adhibuerit.

21 Sed hic insurgere potest dubium non contemnendum, an nimirum Medico de periculo nihil annunciantem, ægrotum mortuo, debeat Medicus acceptam Mercedem restituere; si enim vera est citata Codronchii, & Mercurii opinio, quod tunc licite accipiat, quando periculum, aut insanabilitatem prædixerit, certe si non prædixerit, illicite accipit, illicite vero acceptum teneri non restituere quis dubitabit? & tamen cum Medicus laborem infumat, semperque cum finem sibi proponat, ut ægroti aliquid adjuvmentum ferat, etiam si illicite acciperit, quod mortem, aut insanabilitatem non prædixerit, licite tamen accepisse ob laborem, est dicendus, sed hæc decidere ad me non pertinet, ad eos ergo, ad quos pertinet, ejus dubitationis decisio remittenda.

S V M M A R I V M.

- 1 Primus error Chirurgorum.
- 2 Secundus error Chirurgorum.
- 3 Tertius error.
- 4 Quartus error.
- 5 Chirurgi an teneantur infirmis ad confessionem hortari.
- 6 Chirurgus peccat consulens quicumque contra Animæ salutem.
- 7 Chirurgus ut Physicus errat in opere omittendo, & committendo.
- 8 Chirurgus circa mercedem quomodo peccat.
- 9 Chirurgus tenetur pauperibus gratis mederi.
- 10 Chirurgus an in diebus festis curare possit, & an in istis diebus mercedem accipere.
- 11 Quisquis absque sufficienti examine medetur, peccat.
- 12 Arrius excedens limites suæ capacitatis, peccat.
- 13 Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti.
- 14 Magna culpa dolus est.
- 15 Arrius errans in manualibus operibus puniri possunt.
- 16 Magna negligentia culpa est.
- 17 Phlebotomantes, hoc est, sanguinem detrahentes, unam venam pro alia secantes, peccant.
- 18 Non omnes vene eadem promptitudine corpus evacuant.
- 19 Detrahentes sanguinem absque Physici licentia, errant, & sunt puniendi.
- 20 Gravis error, est sanguinem alia ratione detrahere, quam qua Physicus iussit.
- 21 Errant detrahentes sanguinem in majori, aut minori quantitate, quam Physicus præceperit.
- 22 Errant detrahentes sanguinem alio tempore, quam quo Physicus voluerit.
- 23 Consilium dando quomodo errant supradicti Arrius.

De Chirurgorum, aliorumque similibus Artificum erroribus.

Q V Æ S T I O IX.

IN hæc Questione de Chirurgorum erroribus primo agemus, deinde de erroribus Phlebotomantium, omniumque qui aliquo modo Chirurgica opera exercent, sanguinem quocumque modo detrahendo, leviora vulnera curando, tumores sim-

plices, ulcera superficialia, & alia id genus, sed Chirurgos, cum ad rationales Medicos quam proxime accedant, in plurimos eorum errorum impingere contingit, in quos ipsos Physicos dilabi jam enarravimus, ut deinceps monstrabo. sed præcæteris familiaris Chirurgorum error est absque præcedenti studio, & necessaria rerum cognitione, & absque ulla Theoretica scientia Chirurgiæ sese addicere, solaque praxi contenti esse; quod quidem ipsi est tam peculiare vitium, ut vix ex decem unum aut alterum reperias, qui in Theoricis sit vel mediocriter instructus, quod etiam de sui temporis Chirurgis deploravit Galenus lib. 3. de Anat. admin. cap. 1. unde non mirandum si etiam in his curandis, quæ ad sensum patent sapissime hallucinentur, idcirco non absque summa ratione nominatim ob male administratam curationem à ill. puniuntur. *text. in §. præterea. Inst. ad l. Aquilium:* minori enim excusatione dignus videtur Chirurgus si erret in his, quæ ad ipsum pertinent, quam Physicus, qui etiam si per ignorantiam erret excusatur, *arg. l. Illicitus. §. sicuti. ff. de off. Presid. & ratio est, quia Physicus in curandis morbis cogitur uti conjecturis tam in ejus dignotione, quam in curatione saltem secundum plurimum, quod etiam secundum plurimum non evenit de Chirurgis, qui præsertim in operibus manualibus si per ignorantiam peccent puniendi veniunt de ignorantia; licet etiam Physici, qui perpetram medicamentum dedit, ignorantia impunita remanere non debeat, ut per cit. *text. in §. Præterea. Inst. ad l. Aquilium.**

Errant autem peculiariter Chirurgi (nisi simul & 2 Physici sint) cum ultra limites suæ ipsorum Artis progrediuntur, & in iis sese immiscunt, quæ ultra eorum capacitatem sunt, sicuti in medendis morbis internis, quorum cognitionem ipsi neque habent, neque sine Philosophiæ scientia habere possunt; ex hac enim habetur cognitio Naturæ ipsorum morborum, causarumque ipsos progignentium; & idcirco cum mortaliter peccare dicatur Medicus, qui medetur morbo non cognito, ut alias dixi, tanto magis peccabit Chirurgus, qui & morbum non cognoscit, & facit quod facere neque debet, neque potest.

Errant insuper iidem Chirurgi (nisi ipsi Physici etiam sint) cum Physicos non advocant in morbis etiam ad eorum artem, & ad ipsam operationem spectantibus, qui tamen Physici præsentiam requirunt, ut Chirurgi illi apud Lang. lib. 1. Epistol. 4. qui non solum non advocabant Physicos, sed Physicorum munere audacterungebantur, febrem ardentem curantes.

At quia Tumorum, Vulnerum, Ulcera, Fracturarum, aliorumque morborum curatio perfici à Chirurgis non potest, nisi corpus ut decet expurgetur, cum hoc ab ipsis fieri non possit, necessarium est, atque ex juramento tenentur Physicos advocare, qui interna causa inspecta, quæ morbum fovet; ipsam removeant, ea enim non remota, incassum Chirurgi insudant eos morbos superare, qui tamen ut plurimum Physici præsentiam valde reformidant, non ex eo solum, quia crassos eorum errores sæpe detegat, sed quia morbus amota causa celeriorum fortitur curationem, quod ex re eorum non est, qui luero inhiantes (de malis, & avaris, non de bonis loquor) morbum ad longissimum tempus protrahi desiderant.

Sed in indagandis reliquis Chirurgorum erroribus,